



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 48. Imperator Græcorum Basileenses triremes conscendere renuens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.  
A. C. 1437.

omnemque lapidem movent, ut eos in  
 pacti cum illis conventi naves, Concilii  
 nomine, paratas conscendere compelle-  
 rent. Ipsius Imperatoris Chrysobulum  
 id est, bullam auream, qua conventio-  
 nem ratam, acceptamque habuit, exhibe-  
 bent, & Autographas publicæ fidei literas  
 ab Imperatore Romanorum, Galliæ, &  
 Arragoniæ Regibus, aliisque Principibus  
 ac Satrapis, quorum terras pertransire de-  
 berent, concessas ostendunt; quibus ma-  
 nifeste dissolvebant ea, quæ ab Eugeni-  
 oratoribus perperam objecta fuerant,  
 nempe quod Synodus ob virium suarum  
 impotentiam, Græcos in Occidentem  
 transvehendi provinciam Pontifici reli-  
 quisset. Præterea suggerebant Græcis  
 Bullas & Literas, quas Legati Pontificii  
 tanquam a Synodo emanatas attulissent,  
 nonnisi adulterinas, & clanculo signatas  
 esse. Tandem se ad omnia a Concilio  
 cum illis conclusa, per singula capita, ni-  
 lo prætermisso articulo, fideliter exequen-  
 da, Imperatori, Græcisque paratos exhibe-  
 bebant.]

§. XLVIII.

*Imperator Græcorum Basileenses tri-  
 remes conscendere renuit.*

*Blond. 3.  
 Decad. 8. in  
 fin.*

Vicit tamen Pontificiorum Legatorum  
 auctoritas, & Imperator horum ac  
 cete-

ceterorum, qui Basileensi Synodo obfiste-  
 bant, rationibus præventus, Synodaliū  
 Legatorum asserta flocci habuit, eisdem-  
 que morosius respondit, se eorum tire-  
 mibus haud indigere, eoquod præfixo  
 tempore Constantinopolim non venissent.  
 Hi vero reponebant, id non sua, sed Jo-  
 annis Græcorum Legati culpa factum, ut-  
 pote qui testatus fuisset, triremes, si men-  
 se Octobri Constantinopolis portum in-  
 grederentur, satis mature aventuras. Ni-  
 hilominus Basileensium Legati nunquam  
 veram repulsæ sibi datæ causam explo-  
 rare poterant (\*). Quapropter Impera-  
 torem rogarunt, ut ante suum discessum  
 Legatos ad Papam, & Concilium mitte-  
 ret, se vero tamdiu Constantinopoli hæ-  
 suos promittunt, donec percepto horum  
 Legatorum responso Imperator de itine-  
 re suscipiendo decerneret.

## §. XLIX.

(\*) Egregie in collum suum mentiti sunt  
 hi Legati, nam jam 23 Julii 1737. Bononiæ idem  
 Joannes nomine sui Imperatoris aliquam sche-  
 dulam publici juris fecit, in qua, illam partem,  
 quæ Pontifici adhæreret, verum Basileense Con-  
 cilium esse declarat, inter alia hisce factiosis  
 objecit, *attento, quod* (rebellis ista Basileen-  
 sium pars) *jam dudum in promissionibus defecit,*  
*quoad electionem loci, ET LAPSUM TEM-*  
*PORIS, IN QUO GALEÆ MITTI, &*  
*alia*

æcul. XV.  
 A. C. 1437.